

cognatio spiritualis ex baptismo suborta, inde probari valeat. In posteriori autem, sive in libro matrimoniali, tenetur parochus conjugum coram ipso contrahentium, et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describere, quem diligenter apud se custodiat. Præterea debet parochus habere librum, in quo describatur mors sepulorum in sua ecclesia: item librum, in quo continentur annotati redditus, jura et bona ecclesie suæ. Quo prænotato:

127. *Libri parochiales de quorundam baptismo, matrimonio, vel morte attestantes, plene probant.* — Resp. I. Libri parochiales de quorundam baptismo, matrimonio, vel morte attestantes, et contenta in ipsis ad parochi officium pertinentia, plene probant. Ita Pax Jordanus tom. III. tit. de Fide instrument. n. 48. allegans Rotam decis. 321. n. 3. part. I. noviss. ubi resolvitur, sufficienter probari mortem alicujus ex libro parochi, in quo mortui adnotantur: quod a pari dicendum de baptismo, confirmatione, matrimonio, et similibus. Genova cit. lib. V. cap. II. quæst. 1 et 2. Mascardus de Probat. concl. 673. n. 1. et seqq. allegans plurimos alios. Ratio est, quia, licet liber parochialis non sit publicus, id est manu publici notarii cum debitis solemnitatibus juris conscriptus, nihilominus auctoritate sac. concilii Tridentini, industria, et fides parochi est electa ad conscribendum talem librum; ergo indubitanter fides tali libro est adhibenda. Alioquin enim frustra a generali concilio fuisset parochi impositum onus registrandi talia in suo libro, nisi fidem apud omnes publice faceret, et plene probaret. Intelligit, dummodo aliunde de opposito non constet, aut de errore doceatur: qua ratione etiam instrumentum publicum notarii impugnari posse, infra § 10. num. 293. 294. et 304. dicitur.

128. *Et qualiter probent libri parochiales, in quibus annotantur redditus, jura et bona Ecclesie suæ.* — Resp. II. Libri parochiales, in quibus annotantur redditus, jura et bona Ecclesie suæ, non aliter probant, ac libri et scripturæ quæ asservantur in archivis monasteriorum, de quibus proxime dictum est. Ratio disparitatis inter hos, et priores libros est: quia ex libro baptismali, matrimoniali et mortuali, nihil proprii commodi, atque emolumenti provenit parochi; unde tunc cessat ratio sinistrae suspicionis contra ipsum: secus dicendum de libris reddituum, etc.

utpote in quibus agitur de proprio commodo parochi. (ADNOTATIO VI.)

§ V

DE SCRIPTURIS PRIVATIS, EARUMQUE DIVISIONE, AUTHENTICATIONE, ET PROBATIONE: UBI ET DE COMPARATIONE LITTERARUM.

129. *Scripturæ privatæ, quæ? —* Quæritur I. Quid, et quotuplex sit scriptura privata? Resp. I. Scripturæ privatæ dicuntur, quæ a personis privatis fiunt, non autem a notario in forma solenni sunt confectæ, nec alias publicam auctoritatem obtinent: ut dictum § 4. n. 6. et seqq.

130. *Triples est species earum.* — Resp. II. Triplex est species scripturarum privatarum videlicet apochæ, libri rationum, et epistolæ. Ita Bartolus in Auth. At si contractus. § Ut igitur c. de Fide instrument. Jason in Repet. l. Admonendi. n. 87. ff. de Jurejurand. Mascardus de Probationib. quæst. 6. n. 26. et alii. Nec obstat, quod præter enumeratas etiam dentur antapochæ, syngraphæ, et inventaria privata. Nam ista commode ad unam prædictarum trium specierum reducuntur: ubi patebit ex explicationibus singulorum.

131. *Apocha generatim, quid? —* « Apocha » generatim dicitur scriptura quæ datur a parte parti, ut inquit Bartolus, quæ supra. Et hac ratione complectitur sub se tum apocham specialius dictam, tum antapocham, et syngrapham.

132. *Apocha specialius accepta, quid? —* « Apocha » specialius accepta dicitur scriptura, seu chirographum creditoris, confitentis de recepta, sibi que per debitorem rite persoluta pecunia, aut alia re debita. Et hæc alio nomine vocatur *Quietantia* (vulgo *une Quittance*) de qua fit mentio in l. Plures c. de Fide instrument. ubi Glossa v. *Apochis.*, inquit: « Apocha est de receptis, puta: Confiteor me recepisse tantum, et a creditore fit et datur debitori. »

133. *Antapocha, ejusque utilitas.* — « Antapocha » e contra est de solutis: sive, est scriptura debitoris, in qua is confitetur, se tantum vel tantum solvisse nomine annui, v. g. census, seu pensionis. Glossa loc. cit. Utile siquidem est creditori, tales antapochas recipere, ut paratam habeat probationem juris sui, v. g. recipiendi ab altero tantum pro annuo censu, ne alter vel debitum successu temporis negare, vel præscriptio-

nem prætereque queat, arg. cit. l. Plures. c. de Fide instrument.

134. *Syngrapha, quid? —* « Syngrapha, » latine *Conscriptio*, dicitur illa scriptura, quæ in alicujus rei fidem fit a pluribus, et utrique parti tradi solet. Anton. Nebrissensis in *Vocabulario juris.* v. *Syngrapha.* Sive, ut loquitur Calepinus, syngrapha est scriptura, seu schedula, quæ fit propria manu contrahentium, ad pactorum fidem. Unde patet, quod reducatur ad apocham generatim acceptam.

135. *Liber rationum, quid? —* « Liber rationum » est scriptura privata, quam quilibet sua sponte de datis, et acceptis, sibi conficit. Sive, ut l. Si quis ex argenteis. § *Rationem.* ff. de Ede. do, dicitur: « Ratio (hoc est, liber rationum, ut explicat Glossa ibidem) est ultro citroque dandi accipiendi, credendi, obligandi, solvendi sui causa negotiatio. » Quod intellige, quando scripturæ hujusmodi reperiuntur in forma rationis, et non in aliqua tantum schedula, vel memoriali annotato: nam istud non meretur nomen *libri.* Et tales libri rationum communiter solent fieri a tutoribus, curatoribus, atque negotiorum alienorum gestoribus, sicut et a mercatoribus, et hujusmodi.

136. *Inventarium et epistola, quid? —* Porro ad librum rationum commode reducitur « Inventarium privatum, » utpote pariter sua sponte de rebus propriis confectum: ad hoc videlicet, ut imposterum sciatur, quantum eo tempore, vel die, quo scribebatur, in bonis suis contentum fuerit, epistola tandem est scriptura privata, quam quis alicui absentem mittit.

137. *Scriptura, sive instrumentum privatum adhuc tripliciter dividitur.* — Resp. III. Scriptura privata, sive instrumentum privatum, adhuc tripliciter dividitur: nam aliquando facit scripturam privatam tibi tantum, aliquando alii tantum, aliquando tibi et alii. Ita Speculator tit. de Instrumentorum editione. § *Nunc dicendum,* n. 4. estque in re communis.

138. *Scriptura privata tibi tantum facta, quæ? Hæc regulariter non probat in commodum scribentium.* — « Scriptura privata tibi tantum facta, » censetur illa, in qua quidpiam scriptum, sive annotatum habetur in tuum duntaxat commodum: ut puta, quod Titius tantum, vel tantum tibi debeat. Et hujusmodi scripturæ regulariter non probant in commodum scribentium: prout habetur expres-

sum in l. *Exemplo.* c. de Probat. illis verbis: « Exemplo perniciosum est, ut ei scripturæ credatur, qua unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit. Concordat textus in l. ult. c. de Conveniend. fisci debitorib. lib. X. ibi: « Iniquissimum esse perspeximus, ut sub propria annotationis manu unusquisque sibi faciat debitorem. » Ratio hujus clara est, quia alioquin aperiretur via plurimis fraudibus, ac injustitiis, si sola propria annotatione posset quis alium sibi debitorem esse convincere; sic enim posset quilibet perversus plurima in sui favorem, et aliorum præjudicium annotare. Accedit, quod privatæ scripturæ alicujus non plus debeat credi, quam vivæ voci ejusdem: sed si quis viva voce deponeret pro se nihil ei crederetur, l. *Omnibus.* c. de Testib. ergo.

139. *Adeo, ut etiam rationes defuncti, ad probationem sibi debitæ quantitatis solæ non sufficiant.* — Et hoc adeo verum est, ut quamvis nemo in extremis constitutus, præsumatur esse immemor suæ salutis: nihilominus « Rationes defuncti, quæ in bonis ejus reperiuntur, ad probationem sibi debitæ quantitatis sola non sufficiant. Ejusdem juris est, etsi in ultima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas sibi deberi significaverit: » prout is ipsis verbis decisum habetur l. *Rationes.* c. de Probat. Quamquam in hac ipsa auctoritate bene sit ponderandum ly, « solæ non sufficiant: » etenim, quod concurrentibus aliis adminiculis scripturæ privatæ etiam probent in commodum scribentis, infra § seqq. n. 186. 187. et seqq. amplius declarabitur.

140. *Scriptura privata alteri tantum facta, quæ? Hæc regulariter plene probat contra scribentem.* — « Scriptura privata alteri tantum facta » dicitur ea, quam fecisti contra te in commodum alterius duntaxat: ut est apocha, in qua confiteris, te debere Titio centum ratione mutui, aut hujusmodi. Et tali scripturæ regulariter statur, pleneque ea probat contra scribentem; prout liquet ex l. *Publica Mævina* § fin. *Depositum*: atque amplius dicitur infra n. 170. 174. et seqq. afferendo simul quasdam hujus limitationes.

141. *Scriptura privata tibi et alteri facta, quæ? —* « Scriptura privata tibi et alteri facta » intelligitur, in qua agitur de commodum, et damno tam tuo quam alterius: ut est liber rationum, in quo habetur annotata ratio dati, et accepti; item liber censualis, ac hujusmodi. Et huic interdum creditur,

alias vero non, arg. l. *Si quis ex argentariis*, et l. *Quædam*. § *Nummularios*. ff. de *Edendo* cum similibus; atque ex professo examinabitur infra § 7. per totum.

142. *Scriptura privata alia est authentica, alia non authentica: quæ?* — Resp. IV. Tandem scriptura privata alia est authentica, alia non authentica. « Scriptura privata authentica » vocatur, quæ licet originaliter sit privata, certis tamen modis roboratur, seu authentizatur; adeo, ut ex se plenam fidem faciat in iudicio. « Scriptura privata non authentica » e contra est, quæ est destituta omni tali supplemento, seu robore; ac proinde fidem, plenamque probationem non facit. Ita Pax Jordanus tom. III. tit. de *Fide instrument.* n. 5. et 13. atque concordant dicta superius § 1. n. 13. Quod ut adhuc melius intelligantur:

143. *Scripturæ privatæ pluribus modis authentizantur, ita ut plenam fidem faciant.* — Quæritur II. Quibus modis scripturæ privatæ authentizentur, ita ut plenam fidem faciant? Resp. Id pluribus modis accidere: adeo ut Joan. Andreas in *Additione magna ad Speculatorem*. tit. de *Instrument. edition.* § 7. « Nunc dicendum, » septem talia supplementa enumeret; et Pax Jordanus loc. cit. n. 5. et seqq. novem referat modos authentizandi scripturas privatas. Similia habet Jason in l. *Admonendi*. n. 77. et 78. et in *Repet. cit. l. Admonendi*. a n. 91. usque ad n. 109. ff. de *Jurejurand.* et Mascardus de *Probat.* concl. 109. et seqq. et concl. 1301. allegans alios.

144. *Per subscriptionem propriæ manus, ac trium testium viventium.* — Primo quidem scriptura privata authentizatur per subscriptionem propriæ manus, ac trium testium adhuc viventium probatæ opinionis. Talis enim solemnitas supplet, et dat vires publici instrumenti, l. *Scripturas*. c. « Qui potiores in pignore, » etc. Ubi Glossa fin. illos pervertustos versiculos refert:

Cautio privata, jam trino teste notata,
Hoc jus est naeta, quod cautio publice facta.

145. *Quid, si testes interea sunt mortui?* — Additur notanter, « trium testium adhuc viventium. » Quia scriptura privata cum testium subscriptione, postmodum suborto dubio, plenam fidem non facit mortuis interea testibus; nisi fuerit etiam subscripta per manum publicam, id est, per notarium, aut sigillo authentico munita, juxta textum expressum in cap. II. h. t. Ubi Glossa, Summarium

Abbas, Felinus, Barbosa, aliique passim. Concordat Auth. de *Instrument. cautel.* § *Si vero moriantur omnes*. collat. 6. ac notat Pax Jordanus loc. cit. n. 6. et Jason. cit. *Repetit. l. Admonend.* n. 109. ff. de *Jurejurand.* allegans alios.

146. II. *Per appositionem sigilli authentici majoris magistratus.* — Secundo scriptura, quæ originaliter est privata, authentizatur per appositionem sigilli authentici majoris magistratus; ut puta, episcopi, principis, vel illius, cujus officium est in illo loco, vel curia publicis sigillationibus præesse. Textus, et doctores in cit. cap. II. h. t. Joan. Andreas in d. *Addit. magna ad Speculatorem*. §. « Secundum supplementum. » et concordant dicta superius. § 3. n. 77. et 89.

147. *Idem dicendum, quando scriptura cæteroquin privata, cum debitis solemnitatibus est subscripta, et sigillata a publico notario: secus, si eam confecit non ut notarius.* — Atque hoc ipsum procedit, quando ejusmodi scriptura, cæteroquin privata, cum debitis solemnitatibus subscripta, et sigillata fuit a publico notario: quia tunc accipit auctoritatem ab ejusdem manu publica, cit. cap. II. h. t. Secus, si scripturam quampiam confecit, aut subscripsit notarius non ut tabellio seu persona publica, sed ut aliquis alius: quia tunc scriptura illa non acquireret majorem firmitatem quam a subscriptione alicujus privati. Baldus cit. cap. II. n. 5. §. *Sed pone*, et Felinus ibid. n. 2, h. t.; Pax Jordanus, ubi supra. n. 6. allegans Rotam decis. 139. n. 4. part. II. noviss.; Mascardus de *Probat.* concl. 1301. n. 9. citans alios.

148. III. *Per subscriptionem partium non negatam.* — Tertio, scriptura privata efficitur legitima per subscriptionem ambarum partium, loquendo de contractibus, vel scripturis facientibus pro utraque parte: vel saltem per subscriptionem illius, contra quem facit; uti fit in mutuo, deposito, donatione ac hujusmodi. Stante enim tali subscriptione, et dummodo hæc rationabiliter non negetur, supplet defectus personæ publicæ notarii, ac testium: nam propria confessio, præsertim litteris comprehensa, est optima probatio. Joan. Andreas, ubi supra, §. « Tertium supplementum. » Pax Jordanus loc. cit. n. 9; Abbas cap. II. n. 2. h. t.; Mascardus concl. 109, n. 2. et communis. Quid autem sit agendum, quando pars negat subscriptionem esse suam, vel opponit quamdam exceptionem, v. g. non numeratæ pecuniæ, dicitur infra

n. 157. et 158. et seqq. et n. 182. et seqq.

149. IV. *Per subsequentem judicis examinationem, et approbationem.* — Quarto, scriptura privata redditur authentica per subsequentem judicis examinationem, et approbationem: uti fit in ultimis voluntatibus, seu testamentis, quæ licet fuerint scriptæ a persona privata, vel etiam a servo, tamen coram iudice aperiuntur, atque examinantur; et si testes jurent, ita verum esse, sicut scriptum est, publicantur: sicque scriptura illa testamenti redditur authentica, fidei quæ facit, l. *Publicati*. juncta Glossa v. *Publicati*. c. de *Testament.* Joan. Andreas loc. cit. vers. « Et est quartum supplementum. » Pax Jordanus n. 10.; Jason. loc. cit. n. 93. et alii.

150. V. *Per deputationem loci, seu ratione publici archivii.* — Quinto, scripturæ privatæ authentizantur per deputationem loci, seu ratione archivii publici: hoc est, quando ipsæ auctoritate publica deputantur, seu registrantur in publico archivio, aut pro publicis scripturis communiter habentur, et ut tales a iudicibus servantur: uti sunt libri censuales, libri æstimorum ac statutorum, et hujusmodi: arg. l. *Census*. juncta Glossa un. ff. de *Probat.* et c. *Ad audientiam*. 13. § « Nos igitur. de *Præscription.* » Joan. Andreas, ubi supra. vers. « Quintum supplementum. » Pax Jordanus loc. cit. n. 11. et alii.

151. *Scriptura privata, in archivio publico fideliter custodita, plene probat; et quando?* — Atque istud ampliatur ad aliam scripturam privatam, v. g. apocham, quando reperta est fideliter custodita in archivio publico; hoc est, in loco, in quo solent reponi publicæ scripturæ. Talis enim scriptura sine aliqua subscriptione partium, et sine testibus, plene probat ratione loci, in quo auctoritative asservata, et reperta est; prout desumitur ex Auth. *Ad hæc*. c. de *Fide instrument.* atque cum aliis notat Jason cit. *Repet. l. Admonendi*. n. 97. ff. de *Jurejurand.* et Abbas cap. II. n. 6. h. t. istud intelligens, quando scriptura illa habet in se causam sufficientem; ut c. *Si cautio*. 14. h. t. et l. *Cum de indebito*. c. de *Probat.* Adde etiam, dummodo concurrant conditiones supra § 4. n. 103. et seqq. et n. 113 enumeratæ, ubi plura de hoc.

152. *Ex longi temporis observatione.* — Sexto, scriptura, quæ est originaliter privata, redditur authentica ex longi temporis observatione: quando videlicet longis retro tem-

poribus, a singulis ut publica, et authentica servata fuit, arg. l. 1. § fin. ff. de *Aqua pluvia arcend.* ibi: « Vetustatem, vicem legis tenere, » cum similibus. Joan. Andreas loc. cit. §. « Sextum est temporis observatio. »

153. VII. *Scriptura censetur authentica, quæ confecta est secundum morem; et consuetudinem regionis: et ratio hujus.* — Septimo, scriptura censetur authentica, quæ confecta est secundum morem, et consuetudinem regionis: habet enim consuetudo vim efficiendi authenticam scripturam, quæ alias non esset talis. Glossa c. *Cum dilectus*. v. *Approbata*. et Felinus ibid. n. 35. et Abbas n. 5. et 6. h. t. citans insuper Innocentium, et Hostiensem; Speculator tit. de *Instrument. edition.* § 7. *Nunc dicendum*. n. 8. Joan. Andreas. ubi supra. §. *Septimum supplementum*. Pax Jordanus cit. t. III. tit. de *Fide instrument.* n. 8. Jason cit. l. *Admonendi*. n. 78. ff. de *Jurejurand.* istud tenens non solum de consuetudine, sed etiam de statuto disponente, ut tali vel tali scripturæ privatæ fides adhibeatur. Idque probatur ex cit. c. *Cum dilectus*. 9. h. t. ubi ob consuetudinem patriæ approbatam instrumentum habetur authenticum, quod alias non esset, uti explicat Glossa. Accedit, quod consuetudo det alicui jurisdictionem, quam alias non haberet, c. *Cum contingat*. 13. de *Foro compet.* junctis concordantiis a Glossa fin. ibid. relatis: unde non mirum, quod longæva consuetudo etiam scripturæ privatæ possit dare robor, et authentizationem. Sic Venetiis statur instrumentis scriptis per sacerdotes: atque in multis aliis partibus facit fidem certum sigillum, certa subscriptio, certa stampa, vel formæ impressio; ut inquit Joan. Andreas loc. cit. et Pax Jordanus d. n. 8.

154. *Stante consuetudine ista, vel statuto loci, datur scripturæ illi fides ubique locorum.* — Porro stante consuetudine, vel statuto loci, ut ejusmodi scripturis privatis ibidem factis fides adhibeatur, datur ipsis fides ubique locorum, etiamsi alibi iudicium agitur illæque scripturæ producantur Joan. Andreas et Pax Jordanus, ubi supra; et fere Jason cit. n. 78. et seqq. allegans alios, atque istud probans ex illa regula: quia scriptura facta in loco secundum privilegium loci, probat ubique arg. l. *Si non speciali*. c. de *Testament.* et tradit Baldus, et Salycetus ibid. et l. 2. c. « Quemadmodum testamenta aperiuntur. »

155. *Statutum existens in curia mercatorum*